



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

De oneribus à congregatione non recipiendis. Cap. VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

diff. Archiepiscopus; vt progressus sui, quem aut in studijs literarum, & rerum spiritualium, aut in suorum munerum administratione, animarumque fructu fecerint, rationem reddant.

De hospitio Oblatorum. Cap. V I.

Heb. 13.

**C**um autem inter Ecclesiasticarum virtutum munera, non vltimum certe locum hospitalitas obtineat, per quam Antiqui illi Patres, vt ait D. Paulus, Deo placuerunt, Angelis hospitio receptissimi qua iusta de causa, qui in Diocesi morantur, nulloque residendi iure sunt obstricti Oblati, Mediolanum venerint; benigno illos omnes hospitio excipiat Domus Sancti Sepulcri.

Idemque present aliarum quoque eius generis domus, quae in Diocesi Deo iuuantur constituentur.

Neque enim Oblatorum disciplina conuenire videtur, vbi sint tales Aedes constitutae, ad alias diuersi generis hospitij causa diuertere.

Sed neque qui Ecclesiasticum beneficium, officiumve personalis residentiae obtinent, ad laicales Domo hospitij causa in Vrbe diuertant: sed vel in eas Aedes veniant, quae clericorum causa Hospitij nomine nuper constitutae sunt, vel in alias Ecclesiasticorum hominum, praesertim vero Oblatorum, & eorum maxime qui Conuictores dicuntur.

Verum si quos horum frequentius diuertit, vbi in Vrbe morari iusta de causa contingat; hi cum Praeposito sancti Sepulcri re communicata, quod ad vitium impensam attinet, quod ab Hospitijs sua causa impenditur, illius iudicio compensent.

De oneribus a congregatione non recipiendis. Cap. V I I.

**N**eque onera vlla extrinsecus oblata, neque bona vllius generis cum oneribus coniuncta, neque quidquam eorum, quae priorum legatorum ratione atque titulo ita sunt instituta, vt illis vel perpetua onera, vel etiam ad tempus annexa sint, liceat congregationi, vel congregationis vlli familiae, Prae-

posito, vel cuius aliorum qui congregationi regendae praesunt, absque Reuerendissimi Archiepiscopi consensu accipere.

INSTITUTIONVM AD Oblatos pertinentium epitomes,

LIBER TERTIVS.

De pijs exercitationibus singulorum Oblatorum, ad ipsorum disciplinae spiritualis incrementum pertinentibus. Cap. I.



**C**um officium, ad quod Dei benignitate & munere Oblati omnes vocati sunt, ad animarum salutem spectet, diuinumque ac supernaturale sit; idcirco charitatis desiderio, veraque in Deum pietate accensi, magis ac magis in hac ipsa animarum salute elaborandum esse (quod proculdubio praestantissimum Dei donum est) sibi omnino persuadeant, oportet: atque illis potissimum rationibus se id adepturos confidant, quibus supernaturales ac infusae virtutes omnes, quae vera sunt animarum iuuandarum instrumenta, impetrari, exorarique a Deo largitore solent; orationibus videlicet, ieiunijs, vigilijs, sanctarum scripturarum studijs, meditationibus, ipsaque humilitate potissimum.

Cum enim iutare alios, ad christianamque religionem ac pietatem, verasque virtutes dirigere sibi proposuerint Oblati; ipsis quam maxime perfectae in primis animorum suorum institutionis, vitaeque integritati incumbendum est: quae ante omnia alia ecclesiasticis, sacerdotalique ordine insignitis hominibus inesse debent.

Hae autem perfectio virtutum omnium, ardentissimo studio & charitate in primis, atque familiaritate coniunctioneque cum Deo per spirituales exercitationes assiduas comparatur; tum veretiam recta atque sincera animi intentione, in rebus actionibusque omnibus ita obeundis, vt non propria vel affectio, vel utilitas, sed Dei gloria, animarumque salus vbique spectetur, ac praeratur.

Quare.